

Perillustri atque Excellentissimo Domino,

GABRIELI NAVDÆO  
PARISINO,

Viro Clarissimo.

Paulus Zacchias Medicus. S. P. D.

**I**nquirenti mihi sedulo cui librum hunc consiliorum meorum offerrem, oculos in te tandem conjeci, doctissime Navdæ, & te unum habui maxime idoneum qui & librum & authorem Patrocinio tuo defenderes. Ea siquidem in me fuisti semper benevolentia cum Romæ apud Eminentissimum Cardinalem à Balneo degeres, ut dubitare minime debeam, quin absenti tibi veteris nostræ necessitudinis recordatio, in mentem aliquoties, recurrat. Maxime cum Italorum omnium fautor præcipuus existas, quorum mores sic dilaudas, studia commendas, animum extollis, ingenium denique ad præclara quæque paratissimum complecteris, ut quod ipsis vicinorum populorum invidia detrahit abunde reddas, non modo testimonio, sed præconio etiam tuo, quod propter summam in literis authoritatem tuam & vitæ ad urbanioris consuetudinis momenta institutæ candorem non potest non esse luculentissimum. Rem igitur Italis meis gratissimam facturum me sum arbitratus, & mihi quoque utilem si consilia ista quæ Colophonis loco operi meo quæstionum Medico-Legalium tuo præsertim consilio addere visum est nomini tuo, & mihi amicissimo, & literatis omnibus notissimo, quemadmodum libens facio, dicarem. Vale.

LIBER

LIBER NONVS.

Habens Responfa, & Consilia ad materias Medico-  
Legales pertinentia.

CONSILIVM PRIMVM,

ARGVMENTVM.

Agebatur coram Illustrissimis & Reverendissimis DD. Rotæ Autoribus de canonizatione Beati Laurentii Iustiniani, ad cujus sanctitatem magis magisq; probandam multa proponerentur opera miraculosa ejus meritis, & invocatione successa, circa quorum tamen nonnulla dubitare contigit, an vere miraculosa dici deberent, nec ne, & nos ad instantias Religiosorum, qui hujusmodi canonizationem promovebant, super nonnullis pro veritate scriptisimus. Inter hæc autem offerebatur primo puer. quinquennis nomine Laurentius Maphæus, qui sævissima epilepsia, & Hydrocephalo per plures menses molestatus, Beato Laurentio Iustiniano per Parentes suppliciter commendatus, illico à voto emisso, melius habuit, & brevissimo Tridui spatio integram sanitatem est consecutus.

S V M M A R I V M

1. Epilepsia est morbus Pueris familiaris.
2. Epilepsia quid sit.
3. Hydrocephalus quid.
4. Hydrocephali duo præcipua genera.
5. Morbi à statu excitati cito dissolvuntur.
6. Epilepsia a statibus secundum Hippocratem.
7. Hydrocephali aquosi quatuor species.
8. Hydrocephali interni non curantur, quod de tertia specie verificatur.
9. Matus ab interioribus ad exteriora bonus, contra vero malus. declarata ut num. 11.
10. Sanationes quæ ob aliquam crism præcedentem referri possunt ad opus Naturæ, non judicanda miraculose, quatenus est ex hoc.
11. Epilepsia quam gravis morbus.
12. Symptomata nullam requirunt per se curationem.
13. Pueri ob summam frigiditatem, & humiditatem Cervicis Epilepsia veniunt.
14. Morbi sanari non possunt nisi eorum cause tollantur.
15. Epilepsia in Pueris sanatur ob Ætatis mutationem.

**D**uplici morbo laborabat puer hic, de quo agitur, Epilepsia nempe, & Hydrocephalo, licet uterque ad unam tantum originariam causam referri possit, aut potuerit facili negotio alter alterius esse causa, cum facillime ab Hydrocephalo potuerit habere dependentiam Epilepsia, vel vice versa Hydrocephalus ab Epilepsia, vel à materia ipsam excitante: quomodocunque tandem tamen sese res habuerit, casus erat humana arte, aut naturæ ope omnino irreparabilis, quod ut probetur, & consequenter constet, puerum hunc ex mero miraculo fuisse sanatum, utriusque morbi natura non tam in abstracto, & in universali, quam in concreto, & in hoc particulari subiecto venit examinanda.

Ante tamen existentiam utriusque morbi remanere oportet clarissime probatum, quod ex Testium depositionibus ad hoc examinatorum plenissime

haberetur: nam de Epilepsia nullum intercedere potest dubium; satis enim aperte illam delineant prædicti Testes, quibus facilis cognitio, ut quibusvis aliis personis esse solet, existebat, cum sit morbus puerulis familiarissimus, teste Hippocrate in lib. de morb. sacr. cæterisque Medicinæ Doctoribus; nam idcirco puerilis morbus vocatur, & cum habeat signa patentissima nempe casum subitaneum, raptum extra mentem, membrorum contorsiones, spumam ab ore prodeuntem, & alia, quæ vel ipsis mulierculis sunt notissima, quæ omnia ex universali convulsione eveniunt, cum Epilepsia nihil aliud sit, quam universalis corporis convulsio, ut docent Medici omnes. Galen. lib. 3. de loc. aff. cap. 7. Aulic. p. 3. tract. 5. cap. 8. Mercurial. lib. 1. de morb. Puer. cap. 3. & lib. 1. Pract. cap. 17.

De Hydrocephalo quoque ex eorundem testium depositionibus patet; nam Decimus Octavus super. 61. in summ. num. 1. per hæc verba deponit, se glæ gen sio la testa come un pallone, & Trigismus primus super eodem in summ. num. cod. Essendogli gonfia la Testa &c. At vero Hydrocephalus nihil aliud est, quam Tumor totius capitis, qualem patiebatur hic puer. Mercurial. lib. 1. de morb. puer. cap. 4. Marc. Aurelius Severin. in recondito suo opere. de recond. absciss. nat. lib. 4. cap. 9. §. 1. qui morbus etiam, ut superior est ipsis infantibus, ac puerulis familiaris. Mercurial. ibid. M. Aurel. Sever. loco eod. in tantum ut aliquando ipsi capita ad monstruam usque magnitudinem auferant, quemadmodum videre est apud Hieronymum Menerum in Pragmat. de insan. febr. inf. & apud eundem Severinum eundem Menerum adducentem ibidem.

At vero cum Hydrocephali duo præcipua genera assignentur juxta materiæ, ex qua generantur, diversitatem, periculo maxime differentia, existente uno omnino lathali, altero vero periculo pene vacante, quorum ille Aquosus dicitur, quod ab aquoso humore originem ducat, hic autem ventosus, quod ex ventositate gignatur, determinare necesse est, cujusnam generis hic, de quo agimus, existere. Ac certum quidem est, illum non fuisse ventosum, quia morbi à statu excitati cito, ac facile diff-

dissolvuntur. Averrois *lib. 3. Collig. cap. 41.* quod maxime locum habet in pueris, qui aut morbis ex ventositate nullo modo tentantur, aut certe facillime, ac citissime ab ipsis hi morbi superantur, cum non solum flatu in ipsis generati tenues admodum sint, & propterea facile dissipabiles, ut firmat etiam Mercurialis, *loco supra cit.* sed etiam ob vegetum calorem non sunt perdurabiles, quibus addendum, quod hæc species Hydrocephali ventosi rarissime observatur ob rationes, de quibus idem Mercurialis. *ibid.* imo, ut docet Daniel Sennert. *de infant. curat. part. 2. cap. 6.* nunquam datur hujusmodi tumor simpliciter ventosus, cum solus flatu per se sine aquæ admixtione non videatur posse similem tumorem excitare; ac etiam si daretur hujusmodi tumor ventosus sine aqua, celeri cum facilitate curaretur, ut prædicantes omnes unanimiter adnotant.

Vnde non valet objectio, quæ fieri posset ex Hippocratis auctoritate *in lib. de flatib.* probando, quod hic Hydrocephalus esset à flatibus ex eo, quod simul cum Epilepsia erat productus, cum ex ea Hippocratis auctoritate pateat, Epilepsiam à flatibus generari, unde colligi potest, utrumque morbum ab una, eademque causa, ac materia originem duxisse, & sic nulla admiratio detinere nos debet, si tam cito hic morbus fuerit sanatus. Sed hæc objectio nihil afficit, quia si verum fuisset, hunc Hydrocephalum fuisse ventorum, consequens etiam fuisset, quod cessante Epilepsia insultu, cessaret etiam Hydrocephalus, sed cum etiam cessante Epilepsia insultu, permaneret Hydrocephalus, signum erat manifestissimum, quod materia Hydrocephali non esset ita resolvable, ut materia Epilepsia; licet à ratione absolum non esset, quod ab eodem ipso aquoso humore producente Hydrocephalum, eleventur flatu Epilepsiam excitantes, & sic salvari posset Hippocratis auctoritas superius adducta.

Cum ergo constet jam, Hydrocephalum, quo affligebatur puer hic, fuisse aquosum, adhuc restat videndum cuius speciei fuerit, cum hujus ipsius aquosi Hydrocephali quatuor assignentur species, juxta locorum differentiam, in quibus aqua morbum faciens, colligi solet; multum enim & ad periculi magnitudinem, & ad sanationis difficultatem facit loci conditio, in quo morbum faciens aqua reperitur. Prima igitur species est ea, in qua materia colligitur inter capitis cutem, & Pericranium, membranam nempe cranium convestientem, secunda in qua colligitur inter Pericranium, & Cranium. Tertia in qua colligitur inter Cranium, & Meninges, membranas scilicet Cerebrum cooperientes Duræ ac Pia matris nomine insignitas. Quarta in qua colligitur inter Meninges, & Cerebrum. Postrema vero hæc species, quia citissime jugulat gravissima symptomata excitando, nullam curationem admittit, neque idcirco ulla traditur ab Auctoribus eam curandi regula. Hoc Hydrocephalum non laborasse Puerum hunc satis liquet, ex temporis diuturnitate, qua morbo afflicto est, neque enim per octo menses, sed ne per totidem quidem dies absque dubio vitam protrahere potuisset; verum fuisse hunc Hydrocephalum tertie speciei, ejus scilicet, in qua humor aquosus inter Cranium, & Meninges continetur ex sequentibus probatur. Et primo quia in morbi principio nulla signa ejus morbi apparuerunt, nisi Epilepsia, quæ ab ea materia excitabatur, caput tamen nequaquam tumefactum est, nisi adducta mirum in modum materia, quod non nisi post

octo menses contigit, atque in hoc Hydrocephalo ita invenire docent Auctores, quod à principio nulla, aut satis modica capitis tumefactio appareat; sed procedente tempore, & adducto intra Cranium humore, & ad externas partes regurgitante, tunc ab extra tumor apparere incipit, ut in casu nostro factum est, quemadmodum testantur verba illa Decimioctavi Telsis *in summ. num. 1. ibi.* Questo male gli continuò circa otto mesi, & poi se gli gonfiò la Testa come un pallone, ubi per illas particulas, Et poi, denotare voluit successivum adventum hujus morbi ad extra, qui antea solummodo in internis partibus vigeat.

Demonstratur secundo, quod hic Hydrocephalus fuerit internus, & tertie speciei ex Medicorum prognostico, qui, ut deponunt Testes, unanimiter indicant, morbum hunc esse omnino incurabilem, sed ad interitum terminatum; quod prognosticum non nisi de hac tertie specie verificatur, quæ interna est, nam alie duæ, quæ externæ sunt, curantur aliquando etiam cum facilitate, hæc vero absolute ab omnibus pro incurabili pronuntiantur. Galen. *in Introd. cap. 18.* Paul. *sue Med. lib. 6. cap. 3. Avic. 1. 3. tract. 3. cap. 10.* Leonell. *de morb. puer. cap. 14.* Paræus *lib. 1. sue Chirurg. c. 1.* Omnibon. Ferrar. *de arte meden. infant. lib. 3. cap. 12.* Hucher *de Diet. puer. cap. proprio.* Mercurialis. *lib. 1. de morb. puer. cap. 4.* Mercurius *in lib. uni titulus, la Commare, lib. 3. cap. 54.* Forest. *lib. 3. observat. 5. in schol. & lib. 8. observ. 29. in schol. & alii omnes.* Inter quorum dicta ponderanda præcipue ad hanc rem veniunt Pauli verba, qui de ejus morbi eventu sic pronuntiat. His igitur, inquit, (nempe qui habent aquam intra Cranium ceu desperatæ salutis) non est manus ad movenda, & Avicenna. In cura hujusmodi non est ingenium, & Paræus. Ex tumore intus sub Cranium contento neminem convaluisse vidi. Tandemque Omnibonus. Indicatio istius curationis superat humani ingenii vires, & potestatem hominis.

His tamen non obstantibus adhuc insurgere poterat difficultas, nempe quod etiam si tam periculosus sit hic Hydrocephalus, tamen in hoc casu ope naturæ sit sanatus, cum ipsa facti series hoc manifestissime patefaciat. Dicitur enim quod post nonnullos menses Tumor ab extra apparuit, ergo supposito quod Hydrocephalus hic internus fuerit, eo quod materia intra Cranium contineretur, jam apparentia Tumoris ab extra Naturæ virtutem ostendit demandantis materiam morificam ab interioribus ad exteriora, & volens exonerare interiores partes tanquam nobiliores, ut posset morbum superare; nam patet experientia, & ab Hipp. *lib. 6. Aph. 25.* comprobatur, motum humorum ab interioribus ad exteriora semper bonum esse, contra vero malum, sit enim, ut dixi ab ipsa natura prædominante materiam morificam ab interioribus ad exteriora, ad locum quippe magis tutum, & minus ipsi Naturæ incommodum, vindicando se à periculo, quod illi ex ea materia intus permanente instabat. Alias autem dictum est *lib. 4. varum Quæst. tit. 1. quæst. 8. num. 13.* quod sanationes, quæ referri possunt ad opus Naturæ, ut maxime sunt eæ quæ cum Crisi fiunt, & præcipue alicujus insignis evacuationis, non sunt eximiamandæ de facili miraculose,

losæ, quamobrem neque hæc, quæ per crismum contigit miraculose censenda est.

Ad hæc difficultatem respondendum quod tam experientia, quam Hippocratis auctoritas verificatur, ubi expulso fiat à validitate Naturæ expellentis noxia vel quando motus ille ad interioribus ad exteriora à Natura vere est, non à vi & malitia morbi, Naturam stimulantem & cogentem ad motum, ut quando fit à materie morificæ multitudine, quæ ob sui copiam tota in interioribus contineri non potest, & ob id ad exteriora redundat; nam tunc neque experientia responderet, neque Hippocratis dictum veritatem habet. Nec desunt lingua, ex quibus certo assequamur; quando nam motus à Natura fit, quando autem à morbo, seu à multitudine materie morificæ; quando enim motus à Natura est, subsequitur morbi, & symptomatum ab eo emanantium alleviatio, ex qua ipsa natura veluti sursum, aut illico, aut non multo post pristinum vigorem recuperat, quando vero motus ex vi morbi, aut ex materie multitudine oritur, & morbus invalescit, & symptomata adaugentur. Cum ergo in casu nostro ex motu materie ad exteriora morbus non modo non sit alleviatus, sed imo symptomata ab eo emanantia adhuc perseveraverint, certe motus hic non fuit ex validitate Naturæ materie morificæ predominantis, sed ex materie ejusdem copia, & malitia, & sic non fuit motus criticus, aut non fuit crisis bona, & ad salutem, sed mala, & ad perniciem ex vi morbi, qui indies invalescebat, & majoris vires acquirebat. Quod vero ita sese res haberit constat ex dictis Testium manifestissime: nam decimus octavus super 61 & poi, inquit, *se gli gonfiò la Testa grandemente, che pareva un pallone, cadendo dello stesso male.* cui dicto consonat depositio Telsis *31. super eodem.* Et in hoc casu habet locum Avicennæ dictum eo modo, quo à Mercurialis accipitur *lib. 1. de morb. puer. cap. 4.* nempe, quod ubi materia fit ab internis ad externa propulsa, res desperata sit, & ea de causa nullam consulti aggrediendam curationem; tamen si in crisi veritate, Avicennas contrarium omnino asserere videatur, quod scilicet ab externis communicatur ad interna res sit desperata, & hoc magis consonum rationi est. Sed quomodo cuncte tandem Avicennæ dictum accipiat, habet locum in casu nostro etiam in hoc posteriori sensu, quia etiam postquam materia ad externa fuerat propulsa ad interna remeabat, quod demonstratur ex eo, quia accessiones epilepticas de novo excitabat quod certissimum signum erat aut materiam, ut dixi, resuere ab externis ad interna, aut intra cranium adhuc contineri, sed ob sui multitudinem totam recipi non posse, & idcirco ad exteriora resuere, ut in utroque casu militare debent absque ulla hæsitantia Auctorum omnium dicta de inevitabili periculo & omnimoda sanationis repugnantia in via Naturæ hujusmodi Hydrocephali.

Secundus morbus, quod detinebatur hic puer Epilepsiam fuisse jam ex superioribus patet, qui morbus adeo gravis, & perneceabilis est, ut idcirco ab Hippocrate *lib. 6. de morb. vulg. sect. 6. tex. 7.* per Antonomasiam vocatus fuerit Morbus magnus, quemadmodum declarat Gal. *ibi in comm.* neque aliam ob causam, nisi ob ejus magnitudinem, dictus est communiter morbus sacer, teste Cæli Aureliano *lib. 1. Chron. cap. 4.* & à Cornel. Cell. *lib. 3. sue Med. cap. 23.* dictus est Morbus major, & ob maximam nocentem vim vocatus est etiam morbus

liber IX.

fonticus, ut dixi alias *lib. 2. quæst. Medico-log. Tit. 3. q. 4. num. 33.* ex Plinio *lib. 36. histor. Nat. cap. 19.* existente igitur morbo hoc tam gravi, adhuc gravior in hoc Puer, & multo nocentior, imo gravissimus, & nocentissimus factus fuerat, atque id quidem ob capitis magnam, & insuperabilem intemperantiam, ob materie peccantis copiam, ob partis patientis debilitatem, quibus accedebat accessio molestia, vehementia, & frequentia, quæ omnia morbum alias contumacissimum, & rebellem, ac perneceabilem reddebant omnino & Naturæ & Artis ope incurabilem.

Nec quicquam de hac difficultate demit, si contendamus, fuisse Epilepsiam hæc morbum ex se, & ab interno Hydrocephalo independentem, aut contra maluerimus fuisse dependentem ab eodem Hydrocephalo, utcumque enim sese rem habuisset velimus, morbus erat curatu impossibilis, cum si Epilepsia ab Hydrocephalo dependebat, certum sit non potuisse curari, nisi antea curaretur Hydrocephalus; ac Hydrocephalus ex jam adductis erat omnino incurabilis, ergo & ipsa Epilepsia, cum esset symptoma ipsius Hydrocephali, erat incurabilis: symptoma enim curari, ac tolli non possunt, nisi curato morbo, ex quo dependet, & idcirco symptomata nullam per se requirunt curationem, ut demonstrat Gal. *lib. 12. Method. med. cap. 1.* & alibi, & cum eo omnes Medici, ubi de symptomatibus agunt. Ac vero si Epilepsia erat morbus ex se, & independentis ab Hydrocephalo, jam neque sic erat curabilis; primo ob sui naturalem contumaciam, quam peculiariter in casu nostro attestabantur magis, ac frequentes insultus, ac paroxysmi, cum prehenderent singulis binis hebdomadis, aut etiam frequentius, nempe in conjunctionibus, & oppositionibus luminarium, eorumque quadraturis (quod morbum jam in habitu factum ostendit) ut deponunt Testes, & singulariter. 18. super. 61. per hæc verba. *Cominejo à caederet malcauco, & questo fallua ogni quattordici giorni, & qualche volta ogni sette giorni.* & Trigeminus primus super eodem, *Deito male era solito venire ogni quattordici giorni, & qualche volta ogni sette giorni.* Hujusmodi ergo morbum & cito, & facillime interficere maxime pueros testantur gravissimi Auctores. Paulus *Æg. lib. 3. sue Med. cap. 13.* Rasis *lib. 1. Continens tract. 13. cap. 1.* Avic. 1. 3. tract. 5. cap. 8.

Secundo hæc Epilepsia erat incurabilis ob insignem discrasiam, seu intemperantiam cerebri frigidam & humidam à nativitate contractam, cum tam multæ materie copia: cum enim ob hujusmodi intemperiem pueri maxime Epilepsia tenentur. Gal. *in lib. 6. Epidem. comm. 6. tract. 5.* Avic. *ubi supra* jam non solum hæc non remiserat, sed majorem in modum vigeat, insuperque ab adicitia intemperie, & accidentaliter fruebatur, alias etenim nequaquam consueverunt pueri tam copioso humore aqueo ex sui natura abundare, cum multo calore sint præditi, qui facile excrementicis, & præcipue tenuiores humores absorbere solet. Si ergo quando Epilepsia ab hac naturali intemperie dependet, ac sola est, nullo modo evincitur, sed tantummodo aliquando forte fortuna mutatione ætatis, quæ temperiem mutat, superatur, certe accidentaliter intemperie naturali adjuncta, erat omni ex parte in via Naturæ incurabilis.

Tertio hæc Epilepsia erat ex sui natura incurabilis, quia erat confirmata, cum jam per octo menses,

ij. K k k

ses, & ultra Egrotantem molestat, & haberet insulatus, ac paroximos fortes, frequentes, & terribiles, neque ullis remediis minima saltem ex parte cessisset. Pars etiam patiens debilis erat, atque omni calore destituta, & e contra multa excrementa materia gravata & oblesita; quod si morbus hic est præ cæteris curatu difficilis in ipso morbi principio, & hujusmodi aggravantibus conditionibus minime associatus, certe, cum jam est confirmatus, & tot conditiones concurrunt illum multo magis insuperabilem reddentes, Natura jam omnimode prostrata, ex omnium Auctorum consensu concludendum, quod neque ex Naturæ, neque ex Artis ope, & industria poterit ullo modo sanari.

Ex quibus videtur satis abundanter probatum hos morbos & de per se singulos, & multo magis simul junctos in hoc Pueri habuisse omnimodam sanationis repugnantiam tam ex parte Naturæ, quam ex parte ipsius Artis, quamobrem venit jam ad majorem miraculi evidentiam probandam, ipse modus sanationis examinandus, cum hic fuerit omnino præter, ac supra Naturæ ipsius ordinem. In via enim Naturæ, aut etiam si Artis prædiis curari morbus debeat, quæ semper ipsam Naturam æmulantur, curari non potest, nisi antea ejus causæ tollantur, quod persuasissimum Medicis est, nec ratione, nec auctoritate eget, ut probetur, nam patet totam morbi curationem in causâ ipsum morbum efficientis abolitione consistere Gal. lib. 2. Aphor. 22. & e contra causâ manente manet & affectus, ut est notissimum. Causæ ergo morborum, quibus Puer hic detinebatur, erant non naturalis solum, sed & accidentaliter etiam intemperies frigida, & humida ipsius capitis, & Cerebri cum materiæ frigida & humidæ copia tumorem Hydrocephalicum excitante, relinquendo Capitis debilitatem, & alias nonnullas causas ad morbi procreationem concurrentes. Non poterat ergo sanatio succedere vigenantibus, ac permanentibus adhuc prædictis singularibus causis in via Naturæ. At permanentia causarum est manifesta, quia quoad intemperiem naturalem non est dubium, cum Puer hic esset quinquennis, ætatis nimirum, in qua maxime ea intemperies viget; sunt enim hujusmodi ætates humidissimæ, & tantò humidiores quanto teneriores, & caput habent valde frigidum, & humidum, quæ omnia passim ratione, & auctoritate habentur, & maxime, cum, ut dixi, non nisi ob eam temperiem facile Epilepsia tententur. Quoad intemperiem accidentalem patet eam adhuc viguisse ex perseverantia tam insignis tumoris dependentis à materia frigida, & humida, qui non solum non minuebatur, sed indies augebat, ut ex frequentia accessionum Epilepti-

carum probatur; ex quibus etiam apparet materia morbificæ utrumque morbum excitantis permanentia. Intemperies porro naturalis tolli non poterat, nisi ætatis mutatione (licet neque hoc in nostro Pueri per ætatis mutationem tam de facili successisset, cum ea esset nimis excedens) hoc enim tempore Epilepsia solet in Pueris sanari ob ipsius ætatis conversionem & mutationem temperiei naturalis, ut cum Hippocrate D D. omnes fatentur, præcipue Paulus, Aetius, Rasis, Avic. & alii locis superius citatis. Vt igitur hæc causâ tolleretur, expectandum erat temporis beneficium, non enim tolli poterat nisi aliquorum annorum circuitu, saltem biennii, non autem spatio paucorum dierum de Naturæ ergo necessitate perseverante causâ in suo vigore, effectus sequi debebat ipsi causæ proportionatus, qui non alius expectari poterat, quam destructio, & extinctio naturalis caloris, & Individui interitus.

Cæteræ deinceps causæ quatenus fuissent aut Artis industria, aut Naturæ ope amovibiles, aliquam de se omnino significationem dare debebant, Natura enim non poterat, cum jam prostrata, ac viribus esset destituta, eas brevi trium dierum spatio superare, & casu quo superare potuisset, hoc non poterat succedere, nisi per insignem, ac patentem aliquam evacuationem, quia materiæ resolutio fieri absque dubio non poterat nisi à calore valido, ac vegeto, qui omnino aberat; & dato etiam quod potuisset materiam morbum facientem insensibiliter resolvere, quomodo fieri potuit hoc tam modico tempore labore existente tam languido, ac debili, & ab ipsius materiæ copia penitus obruto? Adde quod ad hujusmodi resolutionem subsecuta de necessitate esset Tumoris detumefactio, & symptomatum alleviatio, quorum nihil successisse patet, sed contra nonnisi ab emissio voto illico Tumorem detumefactum, & symptomata remissa fuisse.

Verum neque Artis ministerio succedere potuit causarum eos morbos excitantium amotio, quia præterquam quod medicamenta omnia adhibita suo sine frustabantur, apparet clarissime iis attribui non posse sanationem, cum executione demandata fuerint jam multo ante tempore; quod si quicquam profuissent, morbus post eorum usum non esset adauctus, sed remississet; ac contra post eorum usum tumor ulterius processit, & morbi accidentia perseverarunt. Cum ergo causæ morbificæ adhuc vigerent, non potuit morbus ex Naturæ, aut Artis ope superari, unde reliquum est sanationem hanc fuisse mere miraculosam, quod & respectu modi, ut dixi, patet, cum nihil in ipsa sanatione successerit, quod aut Naturæ vigori, aut Artis prædiis attribui possit.

CONSILIVM II.

ARGVMENTVM.

Religiôsa octuagenaria nomine soror Antonia membrorum omnium stupore cum motus impotentia decem annorum spatio per repetitas vices confictata, Beato Laurentio Iustiano se commendat, & ejusdem Beati mensura corporis sibi applicita, illico integram consequitur sanitatem.

SVMMARIVM.

- 1. Senes ex confirmatis ac diuturnis morbis convalescere, contra Naturæ ordinem est.
- 2. Morbi curari possunt vel coctione, vel resolutione, vel diffusionione.
- 3. Senium & Decrepitas quæ ætati dicuntur.

4. Vita

- 4. Vita à Iuventute in senectutem proveniente non sanatio, & multo minus quæ à senectute in Decrepitatem pervenit.
- 5. Morbi à calidis humoribus procreati breves, à frigidis vero longi.
- 6. Senes frigidis morbis corripiuntur.
- 7. Decrepitis stupor membrorum familiaris.
- 8. Natura partu afflicte reddit morbum magis incurabilem si cum morbo conveniat, & debilis sit.
- 9. Senes consilium morbis nervosorum parium.
- 10. Increpentes morbi qui in senibus.

Contra Naturæ ordinem undequaque est senes, & maxime Decrepitos & diuturnis, & jam per plures annos confirmatis morbis, & præcipue si eorum ætati sint connaturales, reconvallescere, cum alia ex parte indies experiamur, ex Naturæ præscripto fieri, ut potius semper in deterius labantur, eoque ad mortem usque comites habeant, eorum calore jam debili existente, & indies etiam magis magisque declinante, & est circa omnibus Medicis acceptissima, & comprobata Hippocratis sententia lib. 2. Aphor. 39. dicens, senes Iuvenibus ægrotant minus, at qui ipsius morbi diuturni contingunt, eos ferè ad mortem comitari solent. ubi loci non absolute dixit, eos ad mortem comitari solent, sed addidit particulam illam, ferè, quia quodcumque morbi à causâ calida dependeat, quales esse possunt in antecedenti ætate procreati, hi quidem possunt in senectute sanari, quia à contraria ipsius ætatis supervenientis temperie sanantur; sed qui à frigidis, humidis, ac crassis humoribus fiunt, & in senectute præhendunt, finiri per aliam ætatem non possunt, & sic concomitantur homines usque ad mortem, quare sunt ex sua natura omnino incurabiles, ut ex Gal. comm. 5. in 6. de morb. vulgar. tex. 6. prosequitur Mercurialis in cit. Aphor. 39. lib. 2. quam sententiam confirmant Iadd. Florent. Hollerius, & Heurnius in comment. ejusdem Aphor. & ratio est apud omnes eadem ex natura rei desumpta, quia cum curari possint morbi vel coctione, vel resolutione, vel diffusionione, calor, qui in senibus quotidie immunitur, insufficiens est ad eos ullo ex prædictis modis evincendos, quare remanent omnino incurabiles Phylotæus cit. lib. 2. Aphor. eod. Hollerius, & Heurnius ibid, factò hoc fundamento, jam inde de necessitate sequitur, Monialem hanc, de qua agitur, cum esset octuagenaria, vel paulo minor, morbo diuturnissimo, ac ex sui natura frigido & contumaci, ac nervorum genus occupante detentam, & qui jam inde à principio sui insulatus nullis cesserat remediis, non fuisse ope Naturæ sanatum, nec potuisse ex ejus virtute sanari, sed sanatum fuisse ope, & virtute divina; quod ut concludentissime probetur, examinandæ veniunt conditiones omnes concurrentes in hoc miraculoso opere, quæ licet plures existant, præcipuè tamen sunt Qualitas & Natura ipsius morbi, ætas ægrotantis, ejusdem morbi diuturnitas, & pertinacia, & repugnantia sanationis; Quoad ætatem namque apertissime patet, Monialem hanc cum primùm à morbo affligi capit, jam præcipitæ, ac decrepitæ pene senectutis fuisse, erat enim tunc paulo infra septuagesimum annum, quæ ætas propriæ senium, aut Decrepitas dicitur tam à Iureconsultis, quam à Medicis, quorum omnium auctoritates congesti lib. 1. Quæst. Medico-Legalium Tit. 1. q. ult. num. 14. & seqq. ubi etiam marturatus, hoc est in 65 anno homines dici Decrepi-

tos ex communi Medicorum sententia, demonstravit; quod maxime ad hunc effectum procedit, quia in pluribus calor hoc tempore est in ultimo suo decremento. At cum hæc Religiôsa à morbo curata est, agebat jam octuagesimum annum, de qua ætate nullus est qui dubitat, quod multo magis verificetur, calorem esse in ultima declinatione, & ea de causâ hoc ulteriori probatione non eget. Causa igitur, ex qua resultat repugnantia sanationis diuturnorum morborum in senibus, multo magis militat in Decrepitis; nam si vitia ipsa, quæ à Iuventute in senectutem proveniunt, nunquam ex toto sanari possunt, Corn. Cels. sive Med. lib. 2. cap. 7. certum est quod vitia, quæ à senectute proveniunt in Decrepitatem in via Naturæ non erunt illo modo amovibilia, unde incurata ea remanere ex necessitate Naturæ contingit.

De Diuturnitate porro hujus morbi non potest dubitari, neque alia probatione ad hoc egemus, nisi Testium depositione, ex qua apparet, illum per decem annos perdurasse, nam ægra, ut dictum est, erat quasi septuagenaria cum morbo affligi capit, octuagenaria vero aut, paulo minor, cum à morbo fuit liberata; quæ omnia habentur ex ipsius quoque sororis Antonie depositione super. 6r. in summ. nu. 2. ibi. Io per lo spazio di dieci Anni; & piu ho patito, &c. & Testis sexagesimus super eodem ibidem. Et detta in fermata le duo piu anni, & circa à detta anni; quin etiam alii Testes concordant de morbi diuturnitate, ita nullum circa ejus rei veritatem reliquum esse possit dubium.

Præterea qualitas morbi, nempe quod esset ex sua natura frigidus (hæc enim multum operatur ad demonstrandam sanationis repugnantiam) probatur ex ipsius morbi natura, de qua infra; probatur insuper ex ejus duratione, quia sicuti morbi à calidis humoribus progenti, non sunt diuturni, sic ii, qui à frigidis dependent humoribus maxime diuturni sunt, & non nisi ab humoribus ejus qualitatis fieri possunt Gal. in comm. lib. 2. Aphor. 39. jam cit. quod & pluribus confirmat Taddæus ibidem. Probatur etiam ex ætate Patientis, quia senes morbis frigidis corripiuntur, ut patet experientia, & docet Gal. ad Hipp. mentem in libell. cui tit. brevis denot. &c. & licet Averr. lib. 3. Colleg. cap. 31. contendat stuporem posse esse à causâ calida, hoc, præterquam quod posset habere locum in Iuvenibus tantum, & ætate consentientibus, & hoc etiam de raro, vel ipso Averroë testante, in omnibus tamen secundum plurimum, & in senibus semper falsissimum est; nam ipse Gal. lib. 2. de loc. aff. cap. 2. non solum apertissime fassus est, stuporem esse morbum frigidum, sed addidit quoque, esse insignem partium refrigerationem, cui consentiunt Avic. 2. 3. cap. 13. Gordani lib. 2. Latii. cap. 17. Vallece. de far. lib. 1. Phylotæus cap. 6. Mercurialis lib. 1. Pract. cap. 23. & alii omnes.

Sed quicquid sit de Auctorum opinione circa illud dubium, An stupor esse possit à causâ calida, certum est in nostro casu, eum fuisse à causâ frigida, cum esset stupor quidam universalis, vel potius semiparaliticus quædam cum impotentia ad motum, ut ex ipsius sororis, Antonie depositione satis liquet, deponit enim per hæc verba. Io per lo spazio di dieci anni, & piu ho patito un assideramento per tutta la vita, quæ voce, assideramento (quæ dormitationem, siderationem, seu stuporem importat) declarat formam, & naturam morbi, quo detine-

bat; ij. Kkk 2

batur; in eo namque vel ex spirituum inopia, vel ex impedimento transitus eorum per nervos, occupantur affectae partes dormitione quadam, ac stupore, qualis fit cum diu super aliquod membrum innititur, vel unum alteri superponimus. Et licet ipsa foror Antonia deponat, quod curata à Medico fuerit tanquam sciatica affecta (tamen si etiam sciatica non minus quam hic idem morbus in hac Religiosa fuisset incurabilis) certo non sciatica, sed stupore, ut diximus, laborabat, nam sciatica partem determinatam semper detinet, stupor vero aliquando totum corpus detinere potest, ut in casu nostro. In sciatica porro major est dolor, quam sideratio partis, in stupore contra, sideratio enim membri est magis conspicua, magisque affligit, quam dolor, ut in casu nostro.

Præterea sciatica, neque sensum, neque motum primo, ac per se, & principaliter lædit, stupor contra aut altererum, aut utrumque ut in hac Religiosa; alias enim, cum mitior est, sensum tantum diminuit, aut obrundit, cum vero major est effectus & sensum lædit, & motum. Ac denique sciatica non est adeo familiaris senibus, stupor vero maxime familiaris, ut ait Averroes lib. 3. Collig. cap. 31. dixerit, Deceptos semper stupore laborare, nec sine ratione evidenti, nam quemadmodum senes omnes reliquos omnes ac singulos sensus debiles, atque obtusos fortitantur, sic etiam sensum tactus habent obtusum, ac debilem, hoc autem fit in stupore, aut saltem stupor affectus est sensus tactus debilitati proximus, sed & Gal. lib. 2. de Temperam. cap. 2. stuporem inter morbos senibus maxime familiares connumeravit. Quibus addendum, quod sciatica est morbus articularum, stupor autem est partium nervosarum, quod nemo inficiatur, & patet ex functionibus, quas oblatit, nempe sensum, & motum quorum utrumque ad nervorum pertinet genus, & quod in hoc casu non oscitanter præterendum; quippe cum natura partis affectæ, morbum reddat magis incurabilem, quando scilicet convenit temperatura cum intemperie faciente morbum; & quando debilis est, quorum etiam utrumque militabat in nostro casu, quia cum morbus esset frigidus obidebat partes omnium frigidissimas, hoc est nervos, qui etiam sunt in senibus in extremo debilitatis, unde ea de causa huiusmodi partes sunt in istdem senibus morbis insigniter obnoxie, quamobrem Apoplexiam, Paralysim, Tremorem, Convulsionem, & Stuporem sæpissime incurrunt, teste Galeno ubi supra qui omnes sunt morbi ad nervos per-

tinentes, & qui ob eandem partium debilitatem in ipsis non solum sanabiles non sunt, sed procedente ætate semper deteriores, & insanabiles fiunt, atque ideoque incrementes dicuntur, ex eo, quod vires acquirunt eundo, incremente indies eorum causa, ut prosequitur Io. Heurnius lib. 2. Aphor. in commun. jam cit. unde prudenter Orbanus cit. lib. 2. Aphor. 45. dicebat, huiusmodi morbos in senibus vocari Convras, qui cum ipsis comoriantur.

Denique pertinacia morbi, & repugnantia sanationis probatur ex eo quod remedia in morbi principio adhibita, atque illa quidem validiora & quando morbos adhuc debiles erant, atque ægra adhuc viribus constabat, nullo modo contulerant, ut ex testium depositione liquet, nam quinquagesimus octavus super 61. in summ. num. 2. per hæc verba deponit, & est ipsamet infirma. Ne primi principii no fuimedicata &c. dulciquili medicine non riceate beneficio alimo. sed hoc multo magis confirmat ipsa facti series, cum morbus transactis jam decem annis non solum nihil diminutus esset, sed adhuc in suo vigore persisteret. quo longo annorum spatio nulla deinceps medicamenta sunt adhibita, ut ipsamet sine Anteria fatetur ibi. stando che nomni son fenuita di medicine, senem velli primi principii. Cum igitur ægrorante jam in extrema decrepitate existente, morbo jam in habitu permanente, viribus jam languidis, & effatis absque ullo Artis prædicio hæc sanatio tam prompte, ac celeriter contigerit ad solam Beati Laurentii invocationem, & mansuræ ejus corporis simplicem applicationem, certe eam non nisi ex divina virtute meritis servi Dei successam omnino concludendum. Quod ego miraculum tanti fecerim, ut non in postremo miraculorum gradu reponendum existimem. excedit enim naturæ potentiam, quantum ad id, in quo miraculum factum est: nam alias potuisset quidem Deus in subiecto magis vegeto, & calore naturali adhuc non destituro per ipsamet calorem sua potentia operantem, aut acutum morbum illico fugare, & tunc quidem miraculum esset in infimo gradu reponendum, sed in subiecto, in quo calor jam pene evanuerat, oportuit Deum absque caloris ope ægram ad sensuum vigorem restituere, quod pene est, mortuum ad vitam revocare; Itaque juxta doctrinam D. Thom. 1. summ. quest. 105. art. 8. hoc erit potius in secundo ordine miraculorum reponendum.

## CONSILIVM III.

## ARGUMENTUM.

Monialis quædam foror Lucia nuncupata brachiorum Arthritide opprimebatur, quæ illi eorum, manuumque operam omnino impediabat, jamque per duos annos in eo morbo perseveraverat incurata, tophosque in articulis contraxerat. Mox B. Laurentii Iustitiani decutione allecra ad ipsius altare, ac se illi pro salute recuperanda humiliter commendans, inde recedens dicto citius motum, ac pristinum membrorum vigorem recuperat, ac sana deinceps vivit.

## SUMMARIUM.

1 Arthritide confirmata, & qua Tophos contraxerit est in via Naturæ omnino incurabilis.

2 Tophi in Arthritide generati demonstrant morbum incurabilem. & num. 4.  
3 Senilis, aut decrepita ætas ex Articularibus morbis nunquam convalescit.

5 Arti.

5 Articuli ubi Tophi occupantur non possunt ad pristinum statum humana arte redire, sed divina ope & miraculorum quædam.  
6 Sanationes miraculose debent fieri in instanti, & esse perfecte.

Am conspicua est sanationis repugnantia una ex parte in hac Religiosa respectu Naturæ, & Artis, ac tam patens alia ex parte ipsa sanatio, tamque extra omnem spem subsecuta, ut de miraculo dubitare nullus remanere possit locus. Et quo ad sanationis impossibilitatem respectu Naturæ, & Artis in casu, qui nobis offertur nulla præsumptio adesse potest, quod ipsa natura ex se, aut Artis præditiis adjuta, quicquam in hac sanatione sit machinata; cum hæc enim Monialis laboraret Arthritide jam confirmata, & quæ Tophos contraxerat, notum est, eam laborasse morbo penitus incurabili. Obsidebat vero hæc Arthritidis, ut ex depositione testium liquet, utrumque cubitum, ubi Tophos, vel callos, vel nodos, ut dicunt, ex vetustate contraxerat. in summ. num. 2. cum his autem jungebatur perpetui dolores, & eorumdem brachiorum extenuatio, ut in similibus doloribus evenire cum Avic. 22. 3. tract. 2. cap. 5. testantur auctores quicunque de eo morbo verba facientes.

Ex quibus aperitissime constat, morbum hunc esse confirmatum, cum jam per duos annos ægram detinuerit, ut ipsamet Testis 16. super 61. deponit in summ. num. 2. & confirmat 17. super eodem ibidem, & partes affectæ præ longitudine morbi essent extenuatæ, & Tophos, seu callos contraxissent, ut evidentissime probatur per testes omnes ad hoc examinatos: nam ipsa foror Lucia ad 61. ibidem ita deponit. Et Hævera le gomme condanæze nelli gomiti, cioè due gomme per gomito, & 17. super eodem: Hævera tutta duo le bravia marcate par le doglie con duo gomme per gomito. Et 25. super eodem: Hævera le bravia piene di gomme, sî como jo steval levodute. Vocant autem omnes hi testes callos illos, seu Tophos, vel nodos, Articularum, le gomme, quia apparent in Articularibus nodosis ex podagra factis tumores quidam veluti gummatæ, quæ cum apparent demonstrant jam morbum esse omnino confirmatum, & insanabilem, & de quo illud Ovidii iactatur sæpissime.

Solvere nodosam nescit Medicina Podagram.

Morbo præterea ex sua natura contumaci, & prolixo insanabili accedebat ætas senilis, immo decrepita: agebat enim tunc hæc Monialis, ut ex processu constat in summ. num. 2. annum quintum supra sexagesimum, quæ ætas ejus conditionis est, ut à morbis hilce afflicta, nunquam ad sanitatem redeat. Facit Hippocr. ejus verba infra referam, & Galen. lib. 3. de sen. tuen. cap. 8. & comm. 2. Aphor. 40. à qua opinione nullus omnino Doctorum est, qui dissentiat; & ratio in promptu est, à quotidiana experientia confirmata, quia cum hic morbus in senibus dependiam habeat à materia frigida, & cruda, sitque profundata in parte ex natura sua frigida, & omni calore destituta, nempe in Articularibus, jam manifestum est, quod deficiente etiam calore in toto, & indies debiliore evadente, ut in senio fit, in quo calor sensibiliter, & evidenter declinat, nulla omnino sperari potest ex Naturæ ope morbi solutio, sed rimendum potius indies ejus incrementum, & major expectanda accessionum frequentia, augete indies tam materiali, quam agente cauf-

sa, ac utraque morbum manifestissime fovente.

Quæ quemadmodum veritatem habent in simpliciter Arthritide senes exercent, sic multo patientiorem, & magis irrefragabilem habent veritatem, ubi Tophi, seu calli in Articularibus fuerint generati, ut in casu nostro; tunc enim hos morbos omnino esse insanabiles notum vel radiuculis Barbi tonso-ribus est, & ab Hipp. lib. 2. Prædict. num. 15. quanti per definitivam quamdam sententiam pronuntiatum esse humana arte incurabiles, per hæc verba. Quicunque aut senes sunt, aut circa Articulos callos Tophaceos concretos habent; aut ærumnosæ velunt, ac siccam alvum habent, hi omnes sani fieri non possunt humana arte, quantum ego novi. In quibus verbis notandum Hippocratem divisive loqui de senibus, & Tophos habentibus, itaque tanto magis sententia erit vera in his qui & senes sunt, atque infimul Tophos in Articularibus habent, & huic sententiæ adspiciantur DD. omnes quorum omnium instar sit unus Gall. lib. 10. de comp. med. supra. cap. 2. qui hæc quæ sequuntur de ea re pronuntiauit. Et postquam fuerint producti (Tophi) ne speraveris ad pristinam constitutionem exacte redire articulum posse. Accedant etiam Celsi verba lib. 2. sua Med. cap. 7. Articuli vero, inquit, qui sic dolent, ut super eos ex callo quædam tubercula innata sint, nunquam liberantur; quæque eorum vitia vel in senectute cæperunt, vel ab adolescentia in senectute pervenerunt ut aliquando leniri possunt, sic nunquam ex toto finiuntur. quæ conditiones ab his Medicæ Artis Proceribus enarratæ cum maxime adessent in hac Moniali, certe nullatenus hæsitandum est, sed omnino consentendum, eum morbum fuisse in illa omnino tam à Natura, quam ab Arte incurabilem.

Nec quicquam facit, quod Auctores omnes tam Græci, & Latini, quam etiam Arabes, tam recentiores, inquam, quam vetustiores plura prescribant ad Tophos in Articularibus dissolvendos, & præcipue Gall. 10. de simpl. Med. fac. Alexand. Trall. lib. 11. cap. 1. Paul. lib. 3. cap. 78. Avic. 22. cap. 43. Cels. lib. 5. cap. 18. Avic. 22. 3. tract. 2. cap. 10. Mesuerial. lib. 4. Prædict. cap. 1. Mercat. lib. 4. de Intern. morb. cur. cap. 18. & alii, & quod multi profiteantur, se huiusmodi Tophos sanare posse, ut cum effectu nonnulli sanati sunt: & habes peculiariter exemplum unum, aut alterum apud Schenchi. lib. 5. Observat. Tit. de Arthritid. quia præterquam quod notissimum est ut plurimum in nodosa Arthritide curanda, ne semper dicam, Medicos suo sine frustrari, sane si qui curatus unquam est, non nisi multis adhibitis medicamentis, & diuturnissima patientia id obtinuit, ut dolores tolerabiliores essent, & motus Articularum essent aliquanto faciliores; at quod absque medicamentis, quod tam subito, quod tam feliciter in subiecto decrepito Articulari jam Tophis impediti in suum pristinum statum, & vigorem redire unquam potuerint, nemo unquam factibile naturaliter concedet, & negatum id aperta fronte est ab ipso Galen. loco supra cit. de comp. Med. s. l. Immo hi ipsi, qui utcumque curati sunt, ætate adhuc erant vegeta, & vires in illis conveniens robur obtinebant, & multis medicamentis, atque opera Chirurgica, alisque Artis præditiis alleviati sunt quidem, non tamen ex toto sanati, sed Decrepitum in instanti ad sanitatem redire, Tophis dissolutis, & Articularibus ad suam agilitatem de repente revocatis, à securus ij. Kkk 3 lo non

lo non est auditum, & omnino miraculosum est. Cum igitur satis constet de impotentia tam Naturæ, quam Artis ad hunc morbum in hoc subiecto curandum, restat ut ejus sanatio ad Dei potentiam referatur, per quam B. Laurentii Iustiniani meritis ad ejusque invocationem Natura repugnante foror Lucia integram sanitatem recuperavit. De modo autem sanationis non est, quod aliquid dicamus; est enim per semetipsum adeo patens, & evidens, cum sanatio successerit subito, & in instanti, & fuerit perfectissima, ut nulla ulteriori probatione in-

digeat. Requiritur autem ad miraculi evidentiam, ut sanationes subito contingant, & sint perfectæ dicitur *lib. 4. Quest. Medico-Leg. Tit. 1. quest. 8. num. 7.* quod maxime habet locum, ubi alias humores non sint sua natura de facili resolvable, aut causa morbum faciens non sit ullo modo, aut saltem non nisi longo tempore amovibilis, ut erant Tophi in casu nostro, qui, dato quod aliquo modo resolvi, aut discuti possent, hoc erat impossibile quod fieret in instanti, ut est notissimum.

C O N S I L I V M I V.

A R G V M E N T V M.

Dominicus Maphæus patria Veronensis febre laborabat, & Tetano, fueratque iis morbis ex improvviso correptus; perseveraverat autem in ea afflictione per viginti dies, atque in extremo jam vitæ periculo versabatur, cum se B. Laurentio Iustiniano commendans, illico à febre, & à doloribus omnino liber evasit.

S V M M A R I V M.

- 1 Non omnia miracula transcendunt simpliciter Naturæ potentiam.
- 2 Triplex miraculorum gradus.
- 3 Miracula omnia habent aliquid, quod admirationem excitat.
- 4 Miracula quomodo aliquando etiam ex Naturæ virtute contingere videantur.
- 5 Sanatio miraculosa in instanti fit, & absque ulla Naturæ operatione.
- 6 Miraculose sanationes circa morbos difficiles contingunt.
- 7 Miraculum est opus arduum.
- 8 Tetanus convulsions speciem.
- 9 Tetanus morbus est gravis, & exitialis.
- 10 Tetanus à causis frigidis generatur.
- 11 Tetanus tertia, aut quinta, aut septima, aut decima quarta occidit.
- 12 Convulsio insanabilis atque mortifera est, cujus exolutio cita non est.
- 13 Convulsio quibus modis naturaliter sanetur.
- 14 Febris convulsioni remedio est.
- 15 Febris quas conditiones habere debeat, ut convulsio nem sit.
- 16 Convulsio in febre contingens perniciofa.

**N**on omnia miracula transcendere Naturæ potentiam simpliciter, notissimum est, cum aliqua excedant tantum secundum quid, veluti illa sunt, quæ excedunt non quantum ad id, quod fit, sed quantum ad id, in quo fit, & quod excedit quoad modum, & ordinem faciendi juxta doctrinam D. Thomæ 1. par. summ. quest. 105. art. ult. & ea de causa triplex assignatur miraculorum gradus ab eodem D. Thoma ibid. Evenit ergo interdum, quod ea miracula, quæ Naturæ vires transcendunt tantum quoad operandi modum, & in infirmo miraculorum gradu à D. Thoma reponuntur, præ aliis dubitationem excitent, nec tam manifeste pro miraculosis operibus se prodant ex eo quod non videantur aliquando à consueto Naturæ ipsius operandi modo recedere, cum tamen miracula oporteat semper peculiare aliquid habere, quod admirationem ex hoc excitet, quod recedat

ab eo modo operandi ipsius Naturæ, & supponat exclusionem causarum naturalium omnium, ac singularum includantque supernaturalium operationem, ex qua admiratio excitatur, & cujus respectu miracula vocantur, ut latius dixi *lib. 4. Quest. Medico-Leg. Tit. 1. quest. 1.*

In nullo vero miraculorum genere major insurgere consuevit difficultas, quam in eis, quæ circa morborum sanationes contingunt, circa quas aliquando ex sola ipsius Naturæ virtute miracula videntur contingere, ut prostritum apud Medicos est, licet hæc nunquam vere miracula existant, neque causam supernaturalem operiscent habeant, sed simpliciter, ac mere ab ipsa Naturæ potentia dependantiam habeant; & tamen hi ipsi effectus majorem interdum nobis admirationem excitant, quam alia nonnulla, quæ vere miraculosa sunt circa morborum sanationes contingunt, cujus rei non alia assignari potest causa, quod illa ut de raro, & præter omnem expectationem contingant ad Naturæ opus referri posse nequaquam videantur, hæc autem contra ad Naturæ operationem facile referantur, & tamen aliqui semper peculiare habent, quod efficientiam causæ supernaturalis his non obstantibus commonstrat. Præcipue vero modus sanationis à Naturæ lege omnino remotus, illam manifeste miraculosam declarat, ut cum maxime sanatio in instanti succedit. Rota in *Relat. Canoniz. S. Andreæ Corsini mirac. 2.* & fit absque ulla sensibili Naturæ operatione; licet aliquando non repugnet, sanationem ex miraculo contingere, & tamen intervenire sensibilem Naturæ operationem obedientis ad Dei nutum, ut in illuminatione cæcitatibus Tobie, de qua *cap. 11.* dicitur, & caput albugo ex oculis ejus quasi membrana Ovi egredi. Sed hæc ipsa miracula non deficiunt à nonnullis aliis conditionibus requisitis in opere, quod miraculosum vere sit. Aliarum porro supernaturalium curationum exemplum esse potest febris, valida ac magna illico expulsa nulla Crisi, nec in tempore, quo naturaliter succedere poterat, succedente. Sanationes ergo omnes miraculose ( ut ex iis, quæ in sacris litteris enarrantur evidenter apparet ) has conditiones fortiniuntur, ut subito, in instanti, illico ad Dei, & Christi Domini, ejusque servorum nutum factæ sint, & nulli

successerit Naturæ motus, quæ eam cooperantem commonstrarent, Natura enim semper sui motus aliquam significationem præbet, neque operatur in instanti. Rota in *relat. B. Magdalene de Papis sui rat. 3. post mortem. §. 4.*

His non ab similibus est casus nobis oblati, qui à miraculosis operis conditione nulla ex parte delictur: Maphæus enim hic laborabat morbo magno, difficili, & exitiali, ut videbitur: miraculose autem curationes circa hujusmodi tantum morbos, non vero circa alios contingunt, qui nimiam vel molestissimi sunt, quod intolerabiles dolores, ac cruciatus excitent, qui noxii, quod membrorum motum, & actionem maxime necessariorum impediunt, vel qui tandem exitiales sunt, quod homines manifeste, ac certissimo vitæ periculo exponant, sed tamen omnes summa cum difficultate curabiles, aut omnino ex ope Naturæ, vel Artis incurabiles existant, ut percurreram alias *cit. lib. 4. Quest. Medico-Leg. quest. 8. num. 4. & seq.* quia cum miraculum sit opus arduum D. Thom. *ubi supra art. 7. ad 2.* non potest consistere circa leviores effectus, sed circa graviores, & cum his semper adesse debet sanationis repugnantia aut simpliciter, aut saltem secundum quid tam ex parte Naturæ, quam etiam Artis. Sed cum hoc, quod morbus hic, quo hic Æger detinebatur, habebat supradictas omnes, ac singulas conditiones, ejus curatio contigit in instanti, ut ipsemet Maphæus deponit *supra 61. in summ. nu. 2.* successitque nullo secuto Naturæ motu, quod ex facto ipso evidenter colligitur.

**E**t quoad morbum Maphæus laborabat ea spasmi, vel convulsions specie, quam Tetanum vocant Græci, Latini vero generico nomine distentionem, Celsus autem Rigorem, qui morbus & gravis, & difficilis, ac molestissimus, & exitialis est, non solum quia cum evidenti vitæ periculo invadit, & interdum Tertia aut Quarta hominem jugulat. Hippocr. *de Indic. num. 8. & lib. 3. de Morb. num. 13. Cels. lib. 4. cap. 3.* est enim morbus non modo acutus, ut Gal. *in lib. de Intro. cap. 13.* sed peracutus ut idem Gal. *in lib. finit. Medic.* affirmat. verum etiam quia cum terribilibus symptomatibus associatur scilicet doloribus vehementibus, rigore, hoc est membrorum rigiditate, eorundemque immobilitate, vigiliis, & id genus aliis, quæ ab ipsemet Ægotante sunt enarrata, & consimilia sunt iis, quæ ab Hippocrate, & Cello locis *supra citatis*, cæterisque Autoribus afferuntur in suis practicis *cap. de Spasmo, vel Convulsione.* Dicebat ergo Hippocrates, Maxillas in hoc morbo rigere, quare non possunt languentes loqui, quod etiam in nostro Ægotante factum est, qui neque loqui ob id poterat, ut habetur in *summ. nu. 2. ibid.* Gridat forte, *dove prima non poteva parlare.* Addit Hippocrates, quod infirmi se movere non possunt, & hoc etiam in nostro casu manifestum fuit ibi, *Dove prima non poteva muovermi in modo alcuno, &c. contrarij à muover le braccia, & le mani.* de qua etiam immobilitate deponit Trigelimus primus *Teltis supra 61. in summ. nu. 2. ibi.* Gli venne non male grande, che lester restare come recitrato, che non si poteva muovere. Dolere insuper eos valde Hippocrates addebat, ut ex facto quoque in nostro Ægotante evenisse patet. Ex quibus clarissime elicitur Maphæum hunc Tetano laborasse, quod etiam insinuatur ab ipsa causa Procathartica, quam ipse Maphæus enarrat, mora nempe in cœmeterio, loco, ut fit, frigido, & humido, similes enim mor-

bi à similibus causis, hoc est frigidis procreantur. Gal. *in lib. de Tremor. Pulsu. Convuls. & Rigor. cap. 6.* ex qua stante jam aliqua corporis dispositione, contractis musculorum capitibus, & Nervis, ac prohibita per loci frigiditatem cutis perspiratione facillime hic morbus est excitatus à Capitis forte destillatione fatus, & adactus.

Cum ergo morbus hic tam molestus, ac exitialis proportionatis remediis non cesserit, certe ipsius pertinacia, & materis morbum excitantis inobediencia arguebatur, itaque mirum videri non debet, Medicos in hoc casu de Ægri salute omnino desperasse, cum notam haberent Hippocratis sententiam *11 loco cit. lib. 3. de Morb.* quod hic Morbus Tertia, aut Quinta, aut septima, aut decima quarta occidat. Neque fidendum erat in hoc Ægotante iis, quæ addebat inibi Hippocrates, hoc est, quod si Æger prædictos terminos effugerit, sanus evadat, unde videri poterat Æger hic jam periculum evasisse, cum præscriptos terminos superasset, quia idem Hippocrates docens, quod si Æger assignatos terminos effugiat, salvus sit, non aliud innuere voluit, nisi, si terminos illos superaverit in melius procedendo; non enim de necessitate in assignatis terminis pereunt sic affecti, sed etiam extra illos, & illis quoque superatis, cum in pejus, etiam illis transactis, labuntur, ut nostro Ægotanti evenire debuit, quia non solum transacta decima quarta, sed jam vigesima ineunte in deterius tendebat; unde Iure Medici futuram de proximo mortem expectabant, ut elicitur ex dictis Testium in *summ. nu. 2. ibi.* Volendo *lui conqueste parole inferre, per quanto mi dissendenda mia socera, che credeva, ch'io fossi morte.* Neque præter rationem timebant Medici, si enim ( ut Durcius in *Conc. Prænot. tract. 3. quem de morb. unil. partic. 21. dicebat* ) Convulsio insanabilis atque mortifera est, cujus exolutio cita non est, quanto magis insanabilis, & mortifera judicanda erat convulsio cum tam malignis symptomatibus ad vigesimam protracta? Et multo magis rationabilem hunc Medicorum timorem faciebat exitialissimum symptoma in hoc morbo apparens, nempe longa obmutescencia, de qua Hippocr. in *Conc. Prænot. sect. 2. nu. 265.* dicebat, In convulsione obmutescere malum.

Verumenimvero si modum jam solutionis hujus morbi considerabimus, manifestissime videbitur, illum fuisse supernaturalem, ac duo potissimum concurrunt id attestantia, nempe sanatio instantanea, & modus ipse non consuetus sanationis, ac præter Naturæ ordinem, totoque celo ab eo differens, qui successit. Instantanea enim sanatio ex facto clarissime elucet, cessante in instanti morbo, & omnibus morbum consequentibus, nempe Obmutescencia, doloribus, immobilitate, rigiditate, inappetentia, vigiliis, & febre, & cæteris quibuscumque symptomatibus Ægotant tam perniciose molestantibus, ut ex facti narratione in processu apparet; quorum aliqua licet non habeant dependentiam à principali morbo, hoc est à Tetano, sive convulsione, ita ut etiam convulsione recedente remanere possint, insimul tamen recesserunt, ut miraculi evidentia ex effectus perfectione totali majorem in modum elucesceret.

Sed & facili negotio probatur sanationis modum non naturali via processisse, sed supernaturali quippe cum Hippocr. in *Conc. Prænot. loco citato. num. 270. & seqq.* tripliciter sanati hujusmodi convulsiones firmaverit, resolutione scilicet per acur-

tam febrem facta, urinæ crassioris, & acervatim erumpentis fluxu, & Alvi motu. Addit & quartum, nempe sudores paulatim oborientes, quorum nihil in nostro casu successit, neque illi prædictorum modorum successa sanatio attribui potuit. De posterioribus enim non est dubium, cum in processu nulla similis mentio habeatur ex Testium depositionibus, quæ tamen cum essent notata maxime digna non siluissent, si aut omnia, aut eorum aliquod apparuissent præcipue interrogati, ut fieri solet.

De febre tantummodo prima fronte non contemnendum insurgere videtur, dubium, cum in casu nostro non solum adfuerit febris, sed convulsio cum febre prehenderit, & per totum morbi progressum perseveraverit: palam vero est non solum ex superiorum Hippocratis sententia, sed ex mille aliis ejusdem assertioibus, & ex ipsa experientia, febrem Convulsioni remedio esse & per eam resolu materiam omnem convulsionem excitantem; unde cum hic morbus haberet remedium consuetum, naturale ac proprium ex ipsa febre, non videtur ejus sanatio modo aliquo miraculoso contigisse.

Cui dubitationi ex ipsiusmet Hippocratis dictis, & auctoritate plenissime satisfiit, cum enim de ea re verba facit, Convulsionem, inquit, sanat exorta febris acuta, quæ prius non fuit; at in casu nostro

febris ab initio cum ipsa convulsione prehendit, ut ex facto patet, immo idem Hipp. lib. cit. Coac. Prenot. docens, non omnem febrem remedio esse Convulsione, declarat deinceps, qualis esse debeat, ut proficua sit dicens, Febris Convulsioni finem affert, quæ aut eodem die, aut postmodum aut per eundem incidit, sed si eam, qua in instanti defecere abique Crisi, sed nullo modo sanari in instanti abique Crisi, verba sunt ipsius Galeni lib. 3. de Crisib. cap. 9. Vbi ergo in sanatione Crisi interueniat, ea etiam in instanti succedens naturalis censenda, quantum est ex hoc, quia nihil aliud Crisi est, quam ipsius naturæ motus, ut Galenus ubi proxime docet. Altera conditio est (& habet, multo magis locum in morbis Chronicis seu longis) ut Crisi facta in via Naturæ semper sit cum aliqua manifesta, & insigni excretionem, ut demonstratum est à Galeno lib. 2. de Diab. 5. de Crisib. cap. 5. quæ conditionem maxime requirit in sanatione miraculosa, nempe ut succedat abique ulla insigni evacuatione dicitur alias lib. 4. cit. Quæst. Medicæ Legul. tit. 1. q. 8. nu. 13. nam semper è contra judicanda ex naturæ virtute successa, si per insignem aliquam evacuationem contingat, nisi eviderent aliunde constet etiam hoc pacto eveniente ex supernaturali virtute procedere. His positis supponitur jam in casu nostro subitanea quædam sanatio cujusdam morbi Chronici, seu longi, & difficillimi, abique ulla apparente Crisi successa, nullaque succedente insigni evacuatione, quare determinari jure posset, eam ex supernaturali virtute evenisse; quod ut magis magisque palam fiat, videtur de necessitate examinanda morbi qui sanatus est, natura, & status, ac modus deinceps, quo sanatus est. Et quoad primum certum est, quod Carpentarius hic patiebatur dolorem Ischiadicum, aut Coxendicum dictum, qui à Barbaris vocatur, sciatica, & quem Chronicum, ac longum pluries testatus est Hippocr. & præcipue lib. de intern. aff. prope finem part. 58. ubi morbum esse gravem, ac diuturnum firmavit, & lib. 2. Prædict. part. 45. ubi in senioribus vix per annum solere sanari docuit, & idipsum ceteri Medici unanimiter fatentur, unde tam Areæus lib. 2. de cur. tard. pass. cap. 12. quam Cæl. Aurel. Chron. lib. 5. cap. 2. eum inter diuturnas affectiones adnumerant, quod multo evidentiùs ipsa experientia commonstrat: nam inter omnes Articulares morbos, qui & longi omnes ex sua natura, & curatu sunt difficillimi, ut Medicis est notissimum, & adnotavit etiam Rota in Relat. Canoniz. B. Andr. Conf. mirac. 2. doloris acerbitate, afflictione diuturnitate, sanationis difficultate, & recidivæ promptitudine molestissimus est sciaticus dolor, ita attestantibus Medicis omnibus. Cels. sua Med. lib. 4. cap. 22. Avic. 12. 3. tract. 2. cap. 5. Fernell. lib. 6. Patholog. cap. 18. non una vero ex causis dependet tanta ejus morbi contumacia, tanta dolorum molestia, ac tam longa & gritudinis afflictio, ut prosequitur Avic. ubi proxime. Nam primo Articuli patientis magnitudo in causa est, ut materia promptius, & quantitate copiosius ad illum descendat. Secundo magnorum ligamentorum, aliorumque vasorum multitudo dolorem facit acerbiorum, ex dolore autem majore major sequitur attractio, & ex majore attractione major dolor, & sic quasi perpetuo circulo una causa per aliam fovetur, unde fit, ut in hujusmodi doloribus afferente Avic. loco cit. fiat effusio materiæ deluper ex toto corpore ad ipsam patientem particulam. Tertio dolentis Ar-

nientes à miraculosis distinguere, nisi duæ de necessitate Naturæ in naturalibus conditiones concurrerent, quarum beneficio hæc ab illis interno scantur. Prima autem conditio est, quod in sanationibus instantaneis, quæ Naturæ ope contingunt, semper præcedat Crisi: nam infirmi possunt quidem de repente, & in instanti defecere abique Crisi, sed nullo modo sanari in instanti abique Crisi, verba sunt ipsius Galeni lib. 3. de Crisib. cap. 9. Vbi ergo in sanatione Crisi interueniat, ea etiam in instanti succedens naturalis censenda, quantum est ex hoc, quia nihil aliud Crisi est, quam ipsius naturæ motus, ut Galenus ubi proxime docet.

Altera conditio est (& habet, multo magis locum in morbis Chronicis seu longis) ut Crisi facta in via Naturæ semper sit cum aliqua manifesta, & insigni excretionem, ut demonstratum est à Galeno lib. 2. de Diab. 5. de Crisib. cap. 5. quæ conditionem maxime requirit in sanatione miraculosa, nempe ut succedat abique ulla insigni evacuatione dicitur alias lib. 4. cit. Quæst. Medicæ Legul. tit. 1. q. 8. nu. 13. nam semper è contra judicanda ex naturæ virtute successa, si per insignem aliquam evacuationem contingat, nisi eviderent aliunde constet etiam hoc pacto eveniente ex supernaturali virtute procedere.

His positis supponitur jam in casu nostro subitanea quædam sanatio cujusdam morbi Chronici, seu longi, & difficillimi, abique ulla apparente Crisi successa, nullaque succedente insigni evacuatione, quare determinari jure posset, eam ex supernaturali virtute evenisse; quod ut magis magisque palam fiat, videtur de necessitate examinanda morbi qui sanatus est, natura, & status, ac modus deinceps, quo sanatus est. Et quoad primum certum est, quod Carpentarius hic patiebatur dolorem Ischiadicum, aut Coxendicum dictum, qui à Barbaris vocatur, sciatica, & quem Chronicum, ac longum pluries testatus est Hippocr. & præcipue lib. de intern. aff. prope finem part. 58. ubi morbum esse gravem, ac diuturnum firmavit, & lib. 2. Prædict. part. 45. ubi in senioribus vix per annum solere sanari docuit, & idipsum ceteri Medici unanimiter fatentur, unde tam Areæus lib. 2. de cur. tard. pass. cap. 12. quam Cæl. Aurel. Chron. lib. 5. cap. 2. eum inter diuturnas affectiones adnumerant, quod multo evidentiùs ipsa experientia commonstrat: nam inter omnes Articulares morbos, qui & longi omnes ex sua natura, & curatu sunt difficillimi, ut Medicis est notissimum, & adnotavit etiam Rota in Relat. Canoniz. B. Andr. Conf. mirac. 2. doloris acerbitate, afflictione diuturnitate, sanationis difficultate, & recidivæ promptitudine molestissimus est sciaticus dolor, ita attestantibus Medicis omnibus. Cels. sua Med. lib. 4. cap. 22. Avic. 12. 3. tract. 2. cap. 5. Fernell. lib. 6. Patholog. cap. 18. non una vero ex causis dependet tanta ejus morbi contumacia, tanta dolorum molestia, ac tam longa & gritudinis afflictio, ut prosequitur Avic. ubi proxime. Nam primo Articuli patientis magnitudo in causa est, ut materia promptius, & quantitate copiosius ad illum descendat. Secundo magnorum ligamentorum, aliorumque vasorum multitudo dolorem facit acerbiorum, ex dolore autem majore major sequitur attractio, & ex majore attractione major dolor, & sic quasi perpetuo circulo una causa per aliam fovetur, unde fit, ut in hujusmodi doloribus afferente Avic. loco cit. fiat effusio materiæ deluper ex toto corpore ad ipsam patientem particulam. Tertio dolentis Ar-

ticuli profunditas impedit penetrationem omnem medicamentorum tam eorum, quæ ad levandum dolorem, aut ad materiæ resolutionem, vel concoctionem exterius adhibentur, quam eorum, quæ ad purganda quomodocunque eam ipsam materiam interius assumuntur. His absque nonnullis ex causis simul concurrentibus, non mirum est, si morbus, hic non solum ex sua natura sit curatu difficilis, sed etiam multoties insanabilis, quod Medici satis norunt, & non desit adnotare Rota in Relat. Canoniz. B. Paterni mirac. 2. post mortem; quia læpissime ex eo ægrotantes claudi fiunt, ita attestant Hippocr. lib. 1. de morb. num. 31. & in lib. de intern. aff. num. 54. & 58. & lib. 6. Aphor. ult. quod nostro huic ægrotanti evenit. Multo minus mirandum est eum tot difficultatibus ex ipsa natura præventibus adjungitur patientis ætatis senilis, tunc enim desperata omnino res est, quia eum hujusmodi dolores senibus sint familiares, & senectutis maxime vitio contingant, ut idem Hippocr. lib. 3. Aphor. ult. & Galen. lib. 5. de sanit. tuend. cap. 8. docent, jam patet, quod vitium ab ætate perveniens durante ea ætate tolli non potest, quia causa illud fovens non solum non est amovibilis, sed indies vires acquirit, unde prudenter Galen. Comm. 1. Aphor. 40. dicebat, Arthritidem, & Nephritidem ex eorum morborum numero esse qui senes comitantur usque ad mortem, quod multo magis habet locum in hac Arthritidis specie, nempe in sciatica, habet enim hæc inter alias hoc peculiare, ut facillime revertatur. Avic. ubi alias, cap. 5. sciatica, inquit, & Podagra cum curantur & eradicanitur earum materiæ, sunt ex eis, quæ redeant qualibet ex causis; hoc est, etiamsi ex toto curentur, ita ut ab radice humores eas producentes evellantur, levi tamen negotio, ac facillime reversionem faciunt. Non modo ergo morbus hic difficilis curatu est respectu accessionum particularium, sed etiam respectu recidivæ, & præcipue in senibus, quos ad mortem usque concomitari mox ex Galeno dictum est.

Erat ergo morbus, quo Carpentarius hic detinebatur diuturnus, molestus, & contumax non solum respectu sui ipsius, sed respectu etiam sui progressus, & respectu ætatis ipsius patientis, quæ senilis erat; agebat enim Blasius tunc annum octavum supra quinquagesimum, ut deponit secundus Testis super 44. in summ. num. 1. His addebatur temporis conditio, in quo sanatus est, cum adhuc vigeret hyems, aut saltem instaret ver, nam circa Quadragesimam sanatus est, ut deponit idem Testis ibidem. In his vero temporibus hujusmodi morbi tantum abest, ut sanari soleant, quin potius, ut de novo tunc præhendunt, aut jam facti exacerbantur, ut peculiariter de vere testatur Hippocr. lib. 3. Aphor. & ibi Gal. in comm. & lib. 6. Aphor. 55. Cels. lib. 4. c. ult. & Avic. ubi alias. & facit Rota in Relat. Canoniz. B. Felicis à Casalicio, tit. de Mirac. miraculof. si quæ ergo instantanea sanatio in tam difficili morbo successerit, ut successisse probatur ex testium depositionibus in summ. num. 1. nequaquam persuaderi possumus, Naturam quicquam in ea sanatione operatam fuisse; primo quia nulla in hac sanatione Crisi successit, ut de necessitate debere succedere in subitibus sanationibus probavimus. Secundo, quia nulla facta est insignis excretio, nullisque apparuit motus, qui Naturam operalem commonstrare poterit. Nam quod nulla successerit Crisi probatur primo ex Natura morbi, qui cum diuturnus, ac chronicus

## CONSILIVM V.

## ARGUMENTVM.

Blasius Carpentarius annum agens octavum supra quinquagesimum ex Sciæ dolore tam male habuit, ut per se ambulare in posterum non poterit, sed coactus sit fulchris gressus sustinere; ac jam nonnullis mensibus transactis recuperandæ salutis vel Artis, vel Naturæ præfidiis spem omnem abjecerat; cum ad altare B. Laurentii Iustiniani claudicans, & fulchris adutus se contulit, inibique genuflexus sese illi humiliter commendavit, & momento temporis sanus factus est, ad idem Altare fulchris relictis, nulloque auxilio propriis pedibus domum se confert, & in posterum sanus vivit.

## SUMMARIUM.

- 1 Instantaneæ sanationes naturaliter non fiunt in morbis longis, sed tantum in Acutis.
- 2 Crisi est subitus motus in morbis, & mutatio ad salutem, vel ad mortem.
- 3 Sanationes instantaneæ, ut miraculose judicentur, quæ conditiones requirant.
- 4 Infirmi percutunt in instanti sine crisi, sed non salvantur in instanti abique crisi.
- 5 Crisi si interueniat in morbi sanatione, etiamsi in instanti succedat, sanatio à Naturæ censenda.
- 6 Crisi est Naturæ motus.
- 7 Sciatica inter Articulares omnes dolores molestior, & contumacior.
- 8 Ex Sciatica ægrotantes sæpissime claudi fiunt.
- 9 Vitium ab ætate proveniens durante ea ætate tolli non potest.
- 10 Sciatica Vere exacerbatur, aut de novo prehendit.
- 11 Crisi sunt ubi calor est vegetus.
- 12 Crisi est Naturæ certamen cum morbo.

Liect in via quoque Naturæ quædam morborum sanationes tam brevi tempore succedant, ut in instanti factæ videantur (licet naturaliter in instanti non fiant, ut voluit Rota in Relat. Canoniz. S. Hia-

cinthi, & S. Andræ Corsini mirac. 1. & 2. cum ibi allegatis) & ob id miraculose existimentur, certum tamen est non indifferenter in quibuscunque morbis tam longis, inquam, quam Acutis, sed in Acutis potissimum secundum naturæ ordinem tales subitaneas, ac celerrimas sanationes contingere, ac tunc quidem non sine manifesta aliqua Crisi motum, & virtutem ipsius Naturæ commonstrante: cum enim in acutis morbis prædominantur semper, aut saltem secundum plurimum calidi, & tenues etiam quandoque humores, & subitaneæ sanationes non possunt fieri nisi mediante aliqua Crisi, ut videbimus, quæ est subitus motus, & mutatio in morbo ad sanitatem, si bona sit, si mala ad mortem, Gal. comm. 2. Aphor. 13. certum est huic tam repentinæ mutationi non esse de se apud materiam frigidam, ac crassam, ex qua morbi longi dependent, ut tenuis, & calida est, ex qua dependent Acuti, quemadmodum insinuat ab eodem Gal. lib. 2. de Crisib. cap. 11.

Verum enim vero licet subitaneæ mutationes in morbis longis ut plurimum non contingant, sufficit tamen ad excludendum miraculam etiam quod de raro, immo rarissime succederent, ut succedere aliquando posse, cum per Crises judicantur, ostendit Gal. lib. 2. de Diab. de Crisib. cap. 5. quamobrem difficillimum ob id esset naturales sanationes subitaneas evenientes